

in quolibet sensu, qui naturaliter delectatur de suo objecto proportionato: ut videns rem pulchram delectatur de pulchritudine, quæ delectatio naturalis, & sensitiva ex honesto fine immunis est ab omni culpa. Quibus prænotatis.

81. R. ad questionem affirm. constat ex prop. 40. damnata ab Alex. VII. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem.* & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis. Ratio iusta damnationis est, quod delectatio carnalis ex sua natura ordinatur ad copulam; sed ea, quæ ex natura sua ordinantur ad copulam, eandem habent malitiam, ac ipsa copula: ergo prædicta delectatio peccatum grave est. Unde oscula, & tactus ob delectationem carnalem seu sensibilem, esse peccata gravia, jam certum est, sive fiant inter personas diversi sexus, sive ejusdem.

82. Inq. 3. An oscula, amplexus, & tactus habita ob solam delectationem sensitivam, aut naturalem sint peccata gravia? R. affirm. in praxi; licet speculative, & metaphisice forte valeant a gravi culpa excusari; quia supposita corruptione naturæ humanæ, & naturali propensione ad venerea, regulariter loquendo impossibile moraliter est, quod oscula, & amplexus habeantur inter personas solutas, & ad coitum habiles ob delectationem præcise naturalem, quin misceatur delectatio carnalis, & venerea: ergo in praxi omnia prædicta lethalia sunt. Excusantur vero in personis infantilis ætatis a gravi culpa, ut in matribus, nutricibus, & aliis: quia tenera ætas non ad lasciviam, sed ad amorem naturalem provocat.

83. Inq. 4. An conjugatis liceat se tangere in pudendis? R. solum hoc licet, quando sunt in statu proximo ad copulam: quia dicti tactus ex se tendunt ad copulam, & sunt quedam illius inchoatio: ergo solum licet ubi, & quando hæc intenditur, & perfici valet; alias se exponunt periculo pollutionis, proindeque graviter peccant.

Alia dubia circa tactus impudicos.

84. Inq. 1. An quando femina advertit se tangi ab alio libidinoso, si non se retrahit, peccet mortaliter? R. affirm. quia hoc ipso, quod advertit, si non se retrahit, signum est, quod consentit: ergo rea peccati gravis est. Si tactus sint extrinsecus honesti juxta morem patriæ, & dubitet de intentione tangentis, non tenetur se subtrahere: quia in dubio nemo præsumitur malus, & potest nisi jure permittendi tactus honestos. Similiter dum extrinsece honeste tangitur, esto animo pravo, si nequeat absque scandalo vitare tactum, potest illum permittere, ne proximi delictum prodat. Ut si in publico congressu prope eam quis sederet, non teneretur cum nota mutare statim locum. Raro tamen est credendum feminis, quæ licet simulent se nolle, vere tamen volunt tangi. Si enim vere, & serio nollent, vix tangerent a viris. Si autem tactus sint plane impudici, nec prætextu vitandi scandalum debent hoc simulare, neque possunt negative se habere, sed tenentur positive resistere, fugere, aut saltem clamare, ut fecit Susanna, si aliter nequeant se subtrahere. Idem est tenendum de manuum contractatione, pedum pressione, aut digitorum intorsione: quæ, esto levia ad sensum appareant, tamen exercita viros inter, & feminas gravia sunt. Quia dicti contactus facti ob delectationem ex illis ortam, sunt inductivi pollutionis, & plei periculis.

85. Inq. 2. An qui propria pudenda tangit, grave peccatum committat? R. si est uxoratus, solum ad se disponendum proxime ad copulam, præsentem uxore, potest se tangere; alias graviter peccat; nisi ex aliqua necessitate, aut levitate id peragat. Si solutus est, & id ob delectationem veneream efficiat, peccat graviter apud omnes. Si tactus fiant ob aliquam necessitatem, aut levitatem absque impudica delectatione, solum obiter, & non meditato, a culpa saltem gravi, ab omnibus absolvitur. Hoc ut plurimum, a causa, & intentione operan-

antis venandum est.

86. Inq. 3. Quid dicendum de quibusdam timoratis, qui in quolibet actione naturali rebellionem carnis experiuntur, aut ad rebelliter verbum, seu aspectum ejus, quem sana diligunt voluntate, eadem sentiant suggestiones? R. ad 1. quod vere timoratus despiciendo tales suggestiones, provideat sibi de necessariis, præcisasque actiones naturales libere exerceat. Ad 2. dicitur, quod nunquam ex professo querat illum, in quem naturaliter propendit, nec seorsim ex condicto alloquatur, ad vitandum quodlibet periculum. Si autem casualiter se obiciat aspectui, non tenetur, & pluries non convenit illum fugere: sed negligere, aut despiciere fantasie spectra, quæ supposita recta intentione, & animi sinceritate, nocere minime possunt.

87. Inq. 4. An peccet graviter, qui post sufficientem advertentiam negative se habet circa insurgentes motus venereos? Ante responsionem nota, quod voluntas circa motus venereos, & alios deordinatos tripliciter se potest habere. *Primo*, eis voluntarie assentiendo. *Secundo*, eis resistendo. *Tertio*, negative se habendo: hoc est, nec admittendo, nec rejiciendo, aut nullum actum, nec admissionem, nec resistantiam eliciendo. *Primo modo* certum est graviter peccare. *Secundo* nedum peccat, sed meretur. *Tertio* autem modo peccare, ad minus leviter compertum est apud omnes propter desidiam, qua se gerit. Imo si ad sit periculum consensus, certum est peccare graviter negative se habendo: nam qui potens, non tollit periculum, amat illud, & consequenter peccatum. Quod in trutinam vertitur est, an, secluso periculo consensus, peccet graviter, qui voluntarie se habet negative circa insurgentes motus venereos.

88. R. affirm. quis motus deordinati, præcipue veneris, inseparabiliter suum afferunt periculum; at permittere voluntarie periculum est peccatum grave: ergo etiam permittere voluntarie motus venereos: unde optime docet D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 6. Quod qui deliberate non expellit motum passionis inordinatum, dicitur interpretative esse in delectatione morosa.

89. *Confirmatur*; foemina advertens se libidinosè tangi, tenetur, ut diximus, positive resistere, aut clamare. Similiter quilibet tenetur repellere motus sensuales ab alio homine excitatos, ita ut si negative se habeat, graviter peccet: ergo pariter, qui non resistit positive motus venereos, sive a natura, sive a Diabolo excitatos. Tenendum est igitur, quod, qui deliberato animo negative se habet ad prædictos motus, graviter peccat. Nec huic sanæ doctrinæ opponitur, quod diximus de timoratis: isti enim exercendo ipsas actiones naturales, despiciendo suggestiones, interpretative eis dissentiunt. Quoniam dum bene moratus, aut despicit tentationes, aut mentem alio divertit, aut alia cogitat, minime se habet negative, sed revera indirecte resistit. Quæ indirecta resistantia quandoque utilis est, quam directæ: ut patet in tentationibus contra fidem, quibus contemnendo, melius, quam arguendo resistimus.

90. Inq. 5. An qui brutorum verenda perfricat, aut contractat usque ad seminis effusionem, graviter peccet? R. affirm. quia est actio nimis indecens, & impudica, inseparabilisque a delectatione carnali, & periculo illius. Imo contractare genitalia animalium ex professo absque necessitate, esto non usque ad effusionem seminis, nisi obiter, aut subito fiat, est grave peccatum, propter naturalem indecentiam, & actionem libidinosam redolentem bestialitatis flagitium. Si vero ex necessitate fiat, seclusa omni prava intentione, excusantur a culpa.

91. Inq. 6. Ad quam speciem luxuriæ pertineat concubitus cum muliere mortua? R. pertinere ad speciem pollutionis, si illam habuit; si non, ad speciem tactus obsceni cum periculo pollutionis, ad cuius speciem reducitur: quia ex una parte non pertinet ad bestialitatem, cum non sit cum bestia; alias neque ad simplicem fornicationem, quia non est apta ad generationem: ergo ad speciem pollutionis attinet. Tactus enim, oscula, & amplexus pertinent ad speciem peccati, quod intenditur, & distinguitur juxta species, & circumstantias objecti prohibiti: ideoque exprimentia sunt in

confessione. Unde reus hujus monstruosi sceleris, in omni sententia debet ejus circumstantiam in confessione aperire: quia supra speciem communem pollutionis, præfert aliam circumstantiam, quæ horrorem ingerit, & variat moraliter iudicium Confessoris.

Р о с т в ъ X I.

De parvitate materiæ in genere luxuriæ.

92. Inq. 1. An in genere luxuriæ detur parvitas materiæ? Antè responsonem notandum est 1. quod in hoc genere dantur quædam objecta ex se apud omnes gravia, ut fornicatio, pollutio; & quædam, quæ physice censeantur levia, ut vellicatio subita carnis, intorsio digiti, aut calcatio pedis. 2. quod etiam ipsa delectatio potest esse gravis, ut illa, quæ vehementem commotionem carnis infert; & levis, quæ tantum remissionem excitat. Consentiant omnes delectationem voluntariam de objecto gravi esse grave peccatum. Similiter delectationem gravem veneream ex parte actus, esto de materia levi, esse lethalem conveniunt, ut delectatio gravis de intorsione digitorum: quia quælibet delectatio gravis, etsi de levi materia, vehementer influat in pollutionem. Unde sola difficultas est, an delectatio venerea, quæ in esse physico est levis, tam ex parte actus, quam objecti, seu materiæ, sit solum peccatum veniale?

93. R. esse peccatum grave: Prob. 1. autoritate Clement. VII. & Pauli V. qui jusserunt fidei inquisitoribus denuntiari asserentem, oscula, amplexus, & aspectus turpes habita ob solam delectationem veneream, absque ulteriori ordine ad copulam, esse solum venialia: ergo sentiunt non dari parvitatē materiæ in genere luxuriæ: nam oscula in esse physico quid leve sunt; alias etiam delectatio de illis absque ulteriori consensu in genere physico levis est; si enim gravis esset, secum afferret periculum ulterioris consensus: ergo ex mente SS. Pontificum nihil datur leve in materia luxuriæ. Idem probatur ex prop. 40. ab Alex. VII. proscripta, ac supra exposita n. 81.

94. Prob. rat. Omnis delectatio, semel quod sit venerea, est pollutio inchoata; sed in pollutione, licet inchoata, non datur parvitas materiæ: ergo nec in delectatione venerea, aut in materia luxuriæ. Consequentia est legitima, minor certa, quia pollutio ejusdem malitiæ specifica est in principio, ac in fine: & major constat ex definitione delectationis venereæ, quæ ex se est commotio humoris serosi generationi, seu pollutioni deservientis. Quod autem aliquando non sequatur, est per accidens; ex se vero ordinatur a natura ad pollutionem, ideo deliberate quaesita, aut habita, nequit esse levis.

95. Objic. 1. Conjugatus accedens ad suam ob solam voluptatem peccat venialiter: ergo datur parvitas materiæ in genere luxuriæ. R. neg. conseq. vel disting. consequens, datur parvitas materiæ accidentaliter, & ab extrinseco in actu libidinoso ex se bono, conc. conseq. ab intrinseco, & in actu libidinoso ex se malo, neg. conseq. Illa copula conjugati est bona intrinsece, & solum inficiatur ab extrinseco ex fine operantis, eam habendo ob solam voluptatem, cum deberet fieri ob prolis generationem. In præsentem autem loquimur de actu intrinsece malo in genere luxuriæ, de quo asserimus non admittere parvitatē materiæ, nisi ex imperfecta advertentia, aut defectu deliberationis.

96. Objic. 2. Delectatio cogitationis fornicationis potest esse venialis: ergo potest dari parvitas materiæ intra genus luxuriæ. R. conc. antec. & neg. conseq. quia delectatio cogitationis rei turpis multum differt a delectatione de ipsa turpitudine: quoniam prima est delectatio speculativa, secunda vero practica.

97. Inq. 2. Quid sit delectatio speculativa, quidve practica? R. prima est delectatio notitiæ rei: ut quando Theologi disserunt de hac materia: secunda vero est delectatio de ipsa re cognita, seu cogitata: ut cum quis delectatur de homicidio cogitato. Igitur delectatio speculativa rei, sive bonæ, sive malæ, secundum se accepta non est peccatum grave. Aliquando potest esse peccatum leve, dum quis inutiliter cogitat de re præsertim mala. Sæpe autem est bona, ut dum

dum doctores ad explanandam rerum, etiam turpium naturam, eas in examen adducunt, delectantur de earum speculativa cognitione ad propriam, proximumque instructionem; odiendo, & execrando simul delectationem practicam cujuscumque sceleris, quæ in hac materia semper est gravis.

98. Notanda nunc est quædam detestabilis doctrina semel, & iterum ab Ecclesia proscripta, quæ certe implevit mensuram scandali, contendens: *Vellitare genas, & tangere mamillas monialium, tantum esse actus sub impudicos ex se veniales, & solum ex prava intentione agentis, aut patientis graves.* Merito sane hæc doctrina reprobata est, cum non solum in monialibus, sed in qualibet foemina ejusmodi tactus valde impudici sint, extra necessitatis casum. Unde respectu monialium potius debebant dici *super impudici*, quam *sub impudici*: quare justissime fuit damnata tempore Bened. XIV. decreto Romanæ Inquisitionis die 16. Aprilis 1744. Deinde decreto Clement. XIII.

Р у н к т у м X I I.

De stupro.

99. Inq. 1. Quid sit stuprum? R. est *concubitus viri cum foemina virgine, quo ejus integritas defloratur.* Dicitur cum *foemina virgine*: quia si fiat cum alio viro est sodomia; si cum corrupta, simplex fornicatio, & adulterium, si fuerit uxorata. Additur, *quo ejus integritas defloratur*, ad declarandum, debere esse actum consummatum; si enim extra vas polluat, erit peccatum contra naturam, simul cum labe stupri ex affectu ad virginem.

100. Inq. 2. An detur proprie stuprum, quoties defloratur virgo, etiam ipsa consentiente? R. affirm. ex D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 6. Ubi docet per deflorationem fieri injuriam, tum puellæ, tum parentibus, sub quorum custodia est. Et art. 7. dicit: *stuprum sine raptu invenitur, quando aliquis absque violentiæ illatione virginem illicite deflorat.* Ubi aperte tradit in defloratione virginis, etiam ipsa volente, dari stuprum, ergo

Tom. I.

quoties virgo defloratur, etiam ipsa consentiente, datur stupri peccatum.

101. Prob. ratione: quia per deflorationem constituitur puella in via meretricandi, sed in hoc adest specialis deformitas, ut ait D. Thom. ergo defloratio virginis semper est stuprum. Deinde per eam fit injuria parentibus, seu tutoribus virginis, ergo etiam ex hoc capite, esto ipsa consentiat, semper in defloratione datur specialis malitia stupri. Denique virgo ejus deflorationi consentiens permittit sibi abscindi membrum virginale, cuius non est domina, ergo sicut in permissione abscissionis cuilibet alterius membri peccatum iniustitiæ committeret tam ipsa, quam abscidens, ita pariter in defloratione.

102. Objic. 1. Signaculum virginittatis, vel non est membrum peculiare, vel in tenuissima membrana situm est, ergo ejus abscissio non infert gravem deordinationem, nec peculiare peccatum. R. neg. conseq. quia amissio virginittatis in quocumque materialiter consistat, gravem apud omnes jacuram, infamiamque irreparabilem ex se infert.

103. Objic. 2. Virgo, non parentes, dominium sui corporis habet, ergo cum scienti, & volenti non fiat injuria, nulla erit in ejus voluntaria defloratione. R. quod nec parentes, nec virgo habent dominium sui corporis, nisi ad usus lege permisos: ideo in defloratione semper adest injuria facta ipsi naturæ, sicut in membrorum voluntaria abscissione absque necessitate facta.

104. Inq. 2. An virgo deflorata, & ejus deflorator debeant hanc circumstantiam aperire in confessione? R. affirm. sicut etiam desideria, delectationes morosas, & omnes actus interiores, quibus consentiunt in fornicatione: omnia hæc stupri circumstantiam induunt. Unde, & Confessarii consequenter tenentur de ea in confessione interrogari. Sed caute, & modeste se gerere debent, ne rubore suffundant puellas honestas, & præsertim virgines Deo sacratas. Minus malum est aliquando confessionem minus integre perfici, quam sibi, & poenitenti laqueum, aut offendiculum parere. Maxime cum opinio contraria valde probabilis sit, tam ab intrinseco, quam ab extrinseco, do-

Dddd

cens,

cens, nisi defloratio virginis fiat vi-
minis, importunis precibus, aut alia
causa involuntariis faciente, non com-
mitti proprie stuprum, nec esse circum-
stantiam in confessione aperiendam, et-
iam si virgo sit sub potestate parentum.
105. Ex dictis vero sequitur eum, qui
virginem per vim, minas, aut importu-
nas preces defloravit, triplex peccatum
committere; scilicet fornicationis, stu-
pri, & raptus, seu iniustitiæ vi illatæ.

106. Inq. 3. Que poenæ sint assigna-
tæ contra stuprum committentes? R. 1.
quod in iure canonico, si noluerit cor-
ruptam in uxorem ducere, assignatur,
vel excommunicatio, vel fustigatio, aut
intrusio in monasterium. Iure civili stu-
patores, si sint nobiles, publicatione
dimidiæ partis bonorum puniuntur. Si ab-
jectæ conditionis, fustigatione, & exilio.
Qui vero virginem, aut viduam per vim
violaverit, poenæ mortis subiacet.

107. R. 2. Quod stuprator virginis im-
maturæ puniendus est, juxta aliquos, ar-
bitrio iudicis; juxta alios, relegandus
exilio ad insulam, aut ad metalla dam-
nandus. Sed qui eam vi stupraret, poen-
a capitis esset plebendus. Virgo immat-
ura dicitur, quæ ad pubertatem non per-
venit, aut minor est duodecim annis.

108. R. 3. Clericis stupratoribus im-
positam esse in iure canonico poeniten-
tiam decem annorum pro foro interno;
& hæc eadem poena constituta est con-
tra clericos fornicatores. Nunc autem puni-
untur, vel suspensione, vel depositio-
ne, vel alia arbitraria juxta Episcopi
zelum, aut conditionem. Crimen stupri
est mixti fori, puniri potest a judi-
ce laico, vel ecclesiastico, quando reus
est secularis; secus, quando est eccle-
siasticus.

РУССКОМ XIII.

De raptu.

109. Inq. 1. Quid sit raptus? R. quod
raptus, ut impedimentum matrimonii,
est violenta femina abductio de loco in
locum causa matrimonii. Ut species lu-
xuriæ, est violenta personæ abductio de
loco in locum causa libidinis explendæ:
dicitur violenta abductio, quia ad rap-

tum requiritur violentia facta, vel ipsi
personæ, vel parentibus, vel aliis sub
quorum custodia, aut potestate est: si-
ve hæc violentia fiat per vim physicam,
sive per moralem, nempe per metum,
aut preces importunas. Additur de lo-
co ad locum: ut significetur, quod per-
sona rapta debeat extrahi a loco, ubi
erat sub potestate patris, aut tutoris;
ad locum sub potestate patris. Si enim in
eadem domo patris abducatur de una
in aliam cameram, non incurrit rapto-
ris poenas.

110. Uterius ponitur personæ, & non
femina: quia semper ac persona abdu-
catur, sive mulier sit, sive vir ad ex-
plendam libidinem, raptus committitur.
Denique ponitur causa libidinis explendæ:
tum ad distinguendum raptum a plagio:
quia si abducatur causa servitutis, erit
plagium, & non raptus. Tum etiam ad
distinctionem raptus, qui est impedimen-
tum matrimonii; differunt enim pecu-
liariter ex causa. Tum denique ad de-
notandum non requiri ad raptum, quod
de facto violenter cognoscatur personæ:
quia sive hæc postea libenter consentiat,
sive raptor poenitentia ductus eam non
cognoscat, semper est raptus. Ad hunc
enim sufficit violenta abductio personæ
de loco in locum ex motivo libidinis
explendæ.

111. Inq. 2. An detur crimen raptus,
quando persona per vim agnoscitur abs-
que abductione de loco in locum? R. In
foro interiori vere dari raptum; secus
vero in foro fori, & quoad poenas ju-
ris: nam qui violenter cognoscit corrup-
tam, luxuriæ, & iniustitiæ committit
peccatum; sed hoc non est alterius spe-
ciei luxuriæ, præter raptum, ut ex se
patet, ergo pro foro interno in specie
raptus collocandus est. Quia acceptio-
ne sic valet defini: Violentia facta per-
sonæ, aut his, sub quorum cura est, cau-
sa libidinis explendæ.

112. Ex dictis inferitur 1. semper ac
violentia inferatur personæ, aut aliis, sub
quorum potestate est, causa libidinis,
esto hæc non sequatur, datur raptus spe-
cies luxuriæ. 2. Quod si violentia tan-
tum inferatur fratribus, aut aliis pro-
pinquis feminae, quæ sui juris est, &
sponte consentit, non est raptus, ut ex

РУССКОМ XIV.

De adulterio.

se patet. 3. Si femina libenter vadat ad
cubiculum viri, & eum provocet, non
datur raptus. Similiter si agnoscatur do-
lo; quia dolus, & fraus, licet voluntaria-
rium diminuant, vim non inferunt. Si
autem violenter per preces valde impor-
tunas, & reverentiales, datur malitia
raptus.

113. Inferitur 4. quod si femina, aut
virgo libenter a domo patris cum ama-
tio discedat causa libidinis, parentibus
id ignorantibus, est stuprum, & fuga
effeminosa, sed non proprie raptus: quia
violentia deficit ad raptum speciem lu-
xuriæ requisita. Quod enim ignorante
domino auferitur, furtum quidem est;
sed non rapina.

114. Inferitur 5. quod qualibet perso-
na sive virgo, sive nupta, aut inupta sit,
aut sponsa, vel meretrix, aut vir, vel
etiam conjux ante bimestre cognoscatur
per vim, committitur raptus; quia li-
cet quoad poenas non omnes istæ cen-
seantur comprehensæ, verum quoad consen-
tiam omnes vere rapiuntur: cum om-
nibus inferatur violentia, & fiat pecu-
liaris iniustitia, quæ in confessione aperi-
enda est.

115. Inq. 3. Que poenæ sint in iure
assignatæ contra raptos? R. iure civili
poenæ capitis puniuntur raptos: imo
si in ipso delicto deprehendantur a pa-
rentibus, aut maritis, possunt impune oc-
cidi; hoc est in foro externo; non ve-
ro absque gravi culpa in interno.

116. Ex iure canonico poenitentia pu-
blica multari debent raptos: & sicut
servi mulieris raptæ, & omnia bona rap-
toris illi applicantur, aut monasterio, si
rapta est monialis. Quod verum tenet,
licet ille pravam intentionem perficere
non potuerit. Imo dicunt plures, quod
raptos mulieris honestæ, & potiori
ratione monialis, poena capitis puniri
debent, esto raptus non fuerit opere
consumatus; non autem si monialem a
monasterio non extraxit. Raptos mas-
culorum, virginisque immaturæ eadem,
& majori poena puniendus merito asse-
runt Doctores. Vid. D. Thom. 2. 2. q.
154. 4. 7.

117. Inq. 1. Quid sit adulterium? R.
quod, si ad nomen adulterii attendatur,
est transitus ad alienum torum, quasi
alienum uterum terens; unde proprie de-
finitur: Accessus ad alienum torum. Tri-
pliciter potest committi; inter solutum,
& conjugatum; inter conjugatum, &
solutam; & inter conjugatos. In hoc ul-
timo duplex adulterium committitur; unum
ex parte adulteri, & aliud ex parte ad-
ulteræ; ac proinde utrumque debet in
confessione explicari; cum uterque du-
plex adulterii peccatum committat. D. Th.
ubi supra. a. 8.

118. Inq. 2. Quanta sit malitia adul-
terii? R. esse maximum inter peccata
contra proximum, excepto homicidio.
Est igitur majus peccatum fornicatione
simplici, aut furto: addit enim flagitium
iniustitiæ contra alterius conjugem, vio-
lat matrimonii fidem, adversatur bonæ
prolis educandæ, filios legitimos cum
spuriis confundit. Insuper violat bonum
fidei, ipsique sacramento gravem irrogat
injuriam: quæ ratione large dicitur sa-
cilegium. Plurimum est causa malorum:
quia plerumque ex adulterio dissidia, ri-
xæ, homicidia, & scandala proveniunt, ut
experientia cum dolore restatur.

119. Tandem adversatur omni legi na-
turali, divinæ, & humanæ. Unde lex di-
vina adulteros lapidibus obrui præcipit.
Ethnici solo lumine naturali præditi gra-
vissimis poenis adulteros plebunt. Iure
canonico 1. Adulteri excommunicantur. 2.
Adultera perpetuo in monasterio detru-
ditur. 3. Clericus adulter deponitur, &
monasterio adjudicatur. Iure civili adul-
teri poena capitis plebuntur; adultera
dote privatur, & uterque jus petendi de-
bitum amittit. Iure regio Castellæ decer-
nitur, quod adulter simul cum adulterâ
per iudicem in potestate mariti ponan-
tur, ut de eis, eorumque bonis faciat,
quod maluerit: unde poterit eos occide-
re, aut aliud malum inferre post legiti-
mam ipsi factam traditionem.

120. Inq. 3. An uxor committat adul-
terium, si vir consentiat, ut ab alio
cog-

cognoscatur? R. affirm. constat ex propositione 50. damnata ab Innoc. XI. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.* Merito hujus thesis doctrina proscripta est; tum quia maritus solum est dominus corporis suæ uxoris ad usus licitos, minime ad illicitos. Tum, quia nequit cedere juri prolis educandæ, nec fidei sacramenti, quibus injuria in adulterio irrogatur; sicut clericus nequit cedere juri sui status.

121. Inq. 4. An accedens carnaliter ad desponsatam de futuro, adulterium committit? R. neg. quia adulterium est accessus ad nuptam; sed sponsa de futuro nupta non est, ergo nec accessus ad eam est adulterium. Infertur tamen peculiaris injuria sponso in tali copula, quæ in confessione aperienda est. Accessus vero ad nuptam non consummato matrimonio, verum adulterium est: quia per matrimonium ratum vere nupta est, & verum *ius in re* acquiritur per illud conjuges in corpus alterius.

122. Inq. 5. An copula sodomica cum propria uxore sit adulterium? R. affirm. quia esto proprie non accedat ad torum alienum, violat proprium, vinculumque fidei caste vivendi, & in hoc sensu accedit ad torum non proprium sodomita: quia corpus conjugis non est ejus, nisi ad usum licitum, uti iam diximus: ideoque hæc circumstantia propriæ uxoris exprimens est in confessione.

123. Inq. 6. An peccatum adulterii sit gravius in marito, quam in uxore? R. quod esto relative ad bonum fidei, & matrimonii sacramentum, sit æquale in utroque, quia ambo eadem obligatione adstringuntur; tamen relative ad damna, quæ consequuntur, gravius est adulterium uxoris, quam mariti: quia illud prolem de suo patre incertam efficit, extraneum in hæreditatis partitionem adducit, maximam infamiam marito, filiis, ac universæ familiæ infert. Denique seditiones, rixæ, homicidia, & alia scandala ex uxoris adulterio præcipue, & maxime proveniunt.

124. Inq. 7. An peccatum adulterii sit gravius in uxore, quam in marito? R. quod esto relative ad bonum fidei, & matrimonii sacramentum, sit æquale in utroque, quia ambo eadem obligatione adstringuntur; tamen relative ad damna, quæ consequuntur, gravius est adulterium mariti, quam uxoris: quia illud prolem de suo patre incertam efficit, extraneum in hæreditatis partitionem adducit, maximam infamiam marito, filiis, ac universæ familiæ infert. Denique seditiones, rixæ, homicidia, & alia scandala ex uxoris adulterio præcipue, & maxime proveniunt.

De incestu.

124. Inq. 1. Quid sit incestus, & unde sumatur? R. quod nomen *incestus* aliqui a *cestu*, seu cingulo Martis derivant: eoquod venus Martem alligabat quodam cindlorio, ne alienos amaret amplexus: unde *incestus* idem est, ac *incinctus*, aut sine cingulo. Alii *incestum* vocant *incastum*, idest *sine castitate*. Sed missa nominis ethimologia, incestus est *accessus carnalis ad consanguineam, vel affinem intra gradus ab Ecclesia prohibitos*. Gradus autem ab Ecclesia prohibiti sunt quatuor ex matrimonio, duo ex copula illicita, & unus ex sponsalibus. Cum omnibus personis intra hos gradus comprehensis committitur incestus, dum quidquam contra castitatem inter se committunt. Item cum cognatis spiritualibus, & legalibus juxta dicenda.

125. Ratio autem, cur detur specialis malitia incestus, est, quia cognatis, & affinibus, & præcipue parentibus debetur peculiaris honor, & reverentia; in actibus vero veneris adest quædam turpitudine honorificentie contraria, ergo dum exercentur cum cognatis, & affinibus, adest specialis malitia, quæ constituit determinatam speciem luxuriæ, nempe incestum. Unde incestus est grave peccatum: quia per illud fit gravis irreverentia parentibus, & cognatis: qua ratione sæpe sub gravissimis verbis interdicitur in sacra pagina. Ut *Genes. 49. 3. & Levit. 18. & 20.* Ubi incestuosa poena mortis imponitur. Jure civili poena exilii plectitur. Jure canonico præter alias poenas clerici incestuosi decernuntur poenitentia puniuntur. At vero, si cum incestu simul adulterium committatur, beneficiis privantur, & deponuntur. Ex quibus gravitas hujus criminis satis innotescit. D. Thom. *ubi sup. a. 9.*

126. Inq. 2. An omnes incestus sint ejusdem speciei? R. quod Cajetanus, Canus, Sotus, & alii eximie doctrinæ Theologi tenent affirmantem sententiam: Verum negativa prævalet, ut communior, & probabilior, quæ tria præcipue docet. 1. quod incestus inter consanguineos, & affi-

affines differunt specie. 2. etiam differunt specie incestus cum consanguineis in linea recta, & transversali. 3. pariter specie differunt incestus in primo gradu consanguinitatis, & collateralis, atque in primo gradu affinitatis a reliquis ejusdem lineæ. Ita colligitur ex D. Thom. 2. 2. *q. 154. art. 9. ad 3.*

127. Probatur ratio: quia in primis lumine naturali patet peculiari reverentia dignos esse parentes præ omnibus propinquis: qua ratione nemo negare valet in primo gradu lineæ rectæ esse nullum matrimonium jure naturæ, ergo incestus in hoc primo gradu specie differt a ceteris. Deinde cognati proveniunt ab intrinseco naturaliter; affines vero ab extrinseco, & accidentaliter, ergo differunt etiam specie incestus inter cognatos, & affines. Denique in primo gradu affinitatis datur peculiaris ratio reverentia, ut inter privignum, & novercam, (*entendo, y madrastra*) & sic de ceteris primis gradibus, ergo incestus in illis differunt specie a reliquis ejusdem lineæ: quia actus veneris est quædam turpitudine debita sanguinis reverentia opposita: unde quo magis, aut minus hæc debetur ex peculiari ratione, incestus ei oppositus specie differt.

128. Objic. juxta D. Thom. omnis incestus est contra virtutem pietatis parentibus debitam; sed una est pietatis virtus, ergo unica erit species incestus. R. verum esse omnem incestum opponi virtuti pietatis, & hæc, specificè esse unam; at non infimam, sed subalternam. Pietas in parentes diversa est a pietate in fratres, patruales, consobrinos, & alios remotiores. Esto igitur D. Thom. doceat pietatem esse unam specie, non dicit esse speciem infimam: est ergo subalterna sub se continens alias a nobis recensitas. Unde juxta earum diversitatem est etiam exprimens concubitus sodomiticus, qui in probabiliori sententia differt specie secundum gradus specificè distinctos consanguinitatis, & affinitatis.

129. Inq. 3. An incestus cum cognatis spiritualibus, aut legalibus sint vere incestus necessario explicandi in confessione? R. quod incestus cum cognatis spiritualibus sunt in primis quædam species sacrilegii contra reverentiam debi-

tam sacramentis baptismi, & confirmationis, ex quibus cognatio spiritualis oritur. Deinde differunt specie ab omni alio incestu naturali, & legali: quia procedunt ex diversa specificè radice. Præterea incestus cum cognatis legalibus etiam differt specie ab incestu commisso cum cognatis naturalibus ex eadem diversitate radicis, a qua procedunt. Unde in confessione explicari debent, tum incestus spirituales, ut distincti ab omnibus aliis: tum si fuerint in prima specie, aut in secunda in cognitione spirituali baptismi, quæ etiam tamquam diversa a cognitione in confirmatione contracta exprimens est: tum denique incestus legales juxta diversitatem triplicis speciei cognationis matrimonium dirimentis.

130. Inq. 4. An copula confesarii cum filia confessionis, habita absque ullo ordine, nec respectu ad confessionem, sit incestus necessario in confessione explicandus? R. affirm. quia esto inter Confessarium, & filiam confessionis non contrahatur proprie cognatio spiritualis sicut in baptismo, & confirmatione, contrahitur tamen quoddam foedus, & familiaritatis vinculum simile cognationi proprie spirituali, ergo copula inter eos habita est sua proportionem incestus in confessione aperiendus. Verum ut filia confessionis dicatur, non sufficit, quod semel, aut raro confiteatur, sed quod aliquoties eam saltem Confessarius instruat, audiat, & absolvat. Hinc deducitur hæc circumstantiam inter Parochos, & suas oves adesse: nam omnes curam animarum ex officio gerentes sunt patres spirituales suarum ovium. D. Thom. *in suplem. q. 56. a. 2. ad 8.*

PUNCTUM XVI.

De sacrilegio specie luxuriæ.

131. Inq. 1. Quid sit sacrilegium propter species luxuriæ? R. est *violatio rei sacræ per actum carnalem*. Nam cum sacrilegium ut sic sit *violatio rei sacræ*, per subsequentem particulam contrahitur ad sacrilegium, quod est species luxuriæ, de quo agitur in præsentibus. Hoc autem, sicut & illud non solum est violatio

tio personæ sacræ, aut loci sacri; sed etiam violatio cuiuslibet rei sacræ, ut violatio calicis, patenæ, aut sacramentum vestium, si ad turpia utantur. Unde triplex est sacrilegium, etiam in hac materia, nempe contra personam sacram, contra locum sacram, & contra res sacras. Et hæc distinctio est essentialis, seu generis in specie infimas. D. Thom. artic. 10.

132. Inq. 2. Quot modis committi possit sacrilegium contra personam sacram? R. tribus modis. 1. quando persona sacra peccatum turpe secum, vel cum persona non sacra committit. 2. quando persona non sacra illud perpetrat cum persona sacra. 3. quando persona sacra luxuriose agit cum alia persona sacra. In hoc autem tertio casu duplex sacrilegii peccatum adest; sicut in copula conjugata cum conjugata duplex adulterium.

133. Inq. 3. An religiosus professus, simul Sacerdos peccans contra castitatem duplex sacrilegium committat? R. affirmative: quia peccatum luxuriæ in sacerdote, & in quolibet sacris initiato opponitur specialiter ejus sanctitati, & consecrationi, sicut consecrationi, & sanctitati loci, atque sacramentum vestium, in quibus absque ullo voto, quo sunt incapaces, per peccatum turpe committitur sacrilegium. Si ergo datur peccatum sacrilegii contra locum sacram, & vestes sacras ex turpi violatione consecrationis eorum; cum non sit minor consecratio personæ sacris initiatæ, & Sacerdotis, asserendum est in ejus violatione turpi dari sacrilegium præcisive a voto. Unde religiosus, simulque sacris initiatus debet in confessione utrumque sacrilegium, & proprium statum manifestare.

134. Objic. 1. Votum castitatis ordini sacro annexum, & votum in professione emissum sunt ejusdem speciei, cum utrumque sit solemnne, & ex eodem motivo, ergo eorum violatio erit pariter ejusdem speciei, & idem sacrilegium. R. quod peccatum sacrilegii in Sacerdote, & religioso, esto non sit contra duplex specie votum, est tamen in Sacerdote contra ejus consecrationem, cujus violatio præcisive a voto est sacrilegium: ut patet in exemplo apposito loci sacri.

135. Objic. 2. Ergo omnis sacris ini-

tatus, qui votum castitatis emisit, peccans contra castitatem duplex sacrilegium committit; aliud consecrationi, aliud voto oppositum. R. conc. consequenter dicendo in confessione se esse sacerdotem, vel sacris initiatum, sufficienter fatetur utrumque sacrilegium: sicut celebrans in peccato lethali sufficienter se accusat de duobus, vel tribus sacrilegiis, quæ juxta varias opiniones in tali celebratione inveniuntur, dicendo se celebrasse in tali statu. Voto solemnne adstrictus, ut religiosus laicus debet illud expresse fateri, quia notabiliter gravius est voto simplici, & valet facile explicari, dum alias non cognoscitur a Confessario. Si enim agnoscitur poenitens, superflua est ejus status explicatio.

136. Objic. 3. Sacerdotes Græci licite utuntur matrimonio, quod ante ordinationem contraxerunt: ergo usus venereus non opponitur per se ordini sacro, aut consecrationi personæ. R. neg. consequenter intellectam de usu venereo illicito: quia etiam in opinione contraria licitus est aliquando usus matrimonii in Ecclesia; nunquam tamen peccatum luxuriæ; hoc enim semper est sacrilegium in Ecclesia loquendo de peccato gravi externo. Igitur sicut omne peccatum grave externum in Ecclesia est sacrilegium, quia opponitur ejus sanctitati, ita & potiori ratione omne peccatum, sive internum, sive externum luxuriæ in sacerdote, seu sacris initiato est sacrilegium oppositum ejus consecrationi. Hinc advertant Sacerdotes, quanta puritate vigere debeant!

137. Inq. 4. An habens votum castitatis, si alios inducat ad venerea, peccatum sacrilegii committat? R. affirm. tum quia sic inducens, ostendit affectum suum ad venerea. Tum quia peccatum scandalum reducitur ad eam speciem peccati, ad quod inducitur; sed inducitur est ad peccatum luxuriæ, ergo ligatus voto castitatis inducens alios ad luxuriam peccatum sacrilegii committit. Unde habens votum castitatis sacrilegium incurrit in qualibet actione, verbo, aut cogitatione contra virtutem castitatis: hoc enim votum in omne id se extendit, quod castitas prohibet. Verum si votum absoluta castitatis habens emitteret votum de non

se polluendo, non multiplicaret sacrilegia, pollutione secuta: quia secundum votum, utpote supra eandem materiam, solum est repetitio, aut confirmatio prioris, non voti novi emissio.

PUNCTUM XVII.

De sacrilegio contra locum sacram, & contra res sacras.

138. Inq. 1. Quid sit sacrilegium contra locum sacram? R. Est violatio loci sacri per actum carnalem. Unde omnis copula illicita in Ecclesia, aut voluntaria seminis effusio, seu tactus, vel actiones cum periculo pollutionis est grave sacrilegium contra locum sacram: quia hujusmodi actiones gravem irreverentiam inferunt loco sacro, quando in eo exercentur. Idem tenes propter eandem rationem de omni tactu, & actione externa graviter peccaminosa; non vero de actibus internis, qui levem tantum irreverentiam sacro loco inferunt; nisi sint circa turpe in Ecclesia peragendum, quia tunc sine intra, sive extra Ecclesiam existas, sacrilegium perpetratur. Copula a conjugibus in Ecclesia ex necessitate habita, in probabiliori sententia non est sacrilegium.

139. Inq. 2. Cur peccata commissa in Ecclesia contra quintum, sextum, & septimum Decalogi præceptum, & non alia, sunt sacrilegia? R. hujus rationem eam esse: quod Ecclesia est locus incurventus Christi mansuetudinem representans, est etiam locus, cui summa puritas debetur, & denique expers omnis injustitiæ, domus orationis, & non spelunca latronum: ideo præcipue violatur ejus sanctitas per peccata contra quintum, sextum, & septimum præceptum. Diximus præcipue, quia verius, & probabilius est etiam alia peccata externa in Ecclesia commissa esse sacrilegia contra locum sacram, ut constat ex cap. Decet. tit. de immunitat. Eccles. in 6. Quis enim negabit blasphemiam in Ecclesia commissam, & sic de aliis, irreverentiam templis, quibus decet sanctitudo, irrogare?

140. Inq. 3. Quomodo, aut quando Ecclesia polluat, ita ut nequeant Misse,

aut officia divina in ea celebrari? R. solum pollui effusione publica seminis, aut sanguinis humani; debet autem esse graviter peccaminosa, quia si sit leviter illicita, ut quando pueri rixando, aut pugnis, sanguinem ex naribus fundunt, esto publice fiat, non polluitur Ecclesia. Manet tamen polluta sepeliendo in ea aliquem excommunicatum vitandum, aut infidelem non baptizatum, quando factum est publicum. Si Ecclesia polluta est consecrata, debet iterum ab Episcopo consecrari; si solum est benedicta, conciliari potest quibusdam precibus, & aqua benedictæ aspersione ab Episcopo, vel a Sacerdote de ejus licentia, aqua ab Episcopo benedicta. Oratoria privata non polluantur.

141. Inq. 4. Circa sacrilegium contra res sacras: An si sacerdos gestans Eucharistiam aliquod peccatum venereum internum, aut externum admittat, novum sacrilegium contra res sacras incurrat? R. affirm. quia sancta sancte sunt tractanda: & qui sacram Eucharistiam in manibus, aut pedore portans in turpe labitur peccatum, sancta non sancte, sed immunde tractat: ergo novum committit sacrilegium. Idem dicendum est de eo, qui post sumptam Eucharistiam statim in luxuriæ peccatum incidit propter gravem irreverentiam contra Dominum, quem in pedore gestat. Similiter de eo, qui vestibus sacris indutus, paratusque ad purissimum offerendum sacrificium, simile flagitium perpetraret propter irreverentiam tanto sacrificio, vestibusque sacris irrogatam. Ceterum sacræ vestes non manerent pollutæ: quia ad hoc præter crimen exigitur dispositio Ecclesie, quæ solum pro casibus supra memoratis adest. cap. Proposisti, de consecr. Ecclesie.

142. Inq. 5. An qui calices, patenas, aut corporalia actione aliqua luxuriosa profanat, sacrilegium contra res sacras committat? R. committere gravissimum sacrilegium: quia rebus immediate destinatis ad suscipiendum corpus, & sanguinem Christi ad actus turpes abutitur. Qui gestans reliquias fornicatur, non committit sacrilegium, tum quia id non facit in earum contemptum: tum quia earum gestatio se habet de materiali, cum

cum non eas portet ut persona publica, sed privata. Si hujusmodi reliquæ in pretium turpitudinis darentur amasæ, sacrilegium, & simonia foret: tunc etiam daretur gravis irreverentia eas turpi actui subijcendo, & in valore comparando. Si vero in signum gratitudinis ei donentur, esto indecens sit, non est tamen sacrilegium, nec simonia.

143. Inq. 6. An peccatum luxuriæ, in diebus festivis commissum, sit sacrilegium? R. neg. quia dies festi solum violantur per opera proprie servilia, peccata autem non proprie, sed mystice sunt servilia. At si in die Veneris sancti, imo & tota hebdomada majori comedie, & alia publica spectacula exercerentur, proculdubio esset sacrilegium: quia rationi naturali dissonat, ut tempore ad compunctionem, & meditationem nostræ redemptionis per passionem, & mortem Domini ab Ecclesia destinato, hujusmodi ludis, & comediis fideles voluptuose vacent. Vid. tract. 14. n. 22.

CAPUT III.

De vitio contra naturam.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio hujus flagitii.

144. Inq. 1. Quid sit vitium contra naturam? R. est *indebitus usus venereorum contra ordinem naturæ*. Primæ particule ponuntur loco generis: quia in omni specie luxuriæ datur *indebitus usus venereorum*. Ly *contra ordinem naturæ* habet rationem differentie: quia talis usus pervertit ordinem generationis, ad quam natura actus venereos ordinavit. Et licet omnia peccata sint quodammodo contra naturam, quia naturæ rationali opponuntur; hæc, utpote primario fini naturæ repugnantia, dicuntur proprie *peccata contra naturam*. D. Thom. a. 11.

145. Inq. 2. Quotplex sit peccatum contra naturam? R. dividi in quatuor species, quæ sunt pollutio, sodomia, bestialitas, & modus innaturalis concubandi. Omnes isti modi intra genus luxuriæ sunt peccatum grave: quia omnes graviter opponuntur magis, aut minus fini

generationis. Alii addunt quintum modum, nempe congressus cum Doemone; sed hic reducitur ad bestialitatem, cum sit accessus ad rem alterius speciei.

146. Inq. 3. An pollutio, sodomia, & bestialitas differant specie? Resp. affirm. constat ex propositione 24. damnata ab Alexand. VII. *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ: ideoque sufficit dicere in confessione procurasse pollutionem*. Falsitas hujus propositionis facile percipitur: quia quilibet ex his modis importat peculiarem turpitudinem contra castitatem, & specialiter repugnat fini generationis: nam pollutio impedit conjunctionem maris, & foeminae; idem efficit sodomia, profundendo semen in vasa non congrua; idem etiam agit bestialitas semen effundendo in vas, non solum incongruum, sed alterius speciei. Idcirco bestialitas est majus flagitium, quam pollutio, & sodomia, ergo pollutio, & sodomia, & bestialitas differunt specie. Modus autem innaturalis concubandi non semper est peccatum grave, nisi quando fit cum periculo effundendi semen extra vas, aut præpostere frequenter.

PUNCTUM II.

De pollutione.

147. Inq. 1. Quid, & quotplex sit pollutio? R. quod est duplex: alia *involuntaria*, quæ absque ullo consensu in somnis, aut in vigilia contingit. Alia *voluntaria*, quæ directe, aut indirecte queritur. Hæc est prima, & minor species vitii contra naturam: & *definitur communiter: voluntaria seminis effusio*.

148. Inq. 2. An pollutio sit jure naturæ prohibita, & intrinsece mala? R. affirm. constat ex propos. 49. ab Innoc. XI. damnata *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali*. Quod ipso jure naturæ, & non tantum divino sit prohibita pollutio, liquet ex eo, quod est contra ipsam naturam, & finem prolis ab ipsa intentum, ut supra diximus. Merito ergo proscribitur est propositio: cujus falsitatem, etiam ethnici agnoverunt: ut

cons-

constat ex Martiali epig. 42.

149. Objic. Semen est veluti lac, sanguis, sudor, aut urina, quorum expulsiō non est contra ordinem naturæ; ergo idem de seminis effusione. R. neg. ant. quia sanguis, lac, &c. ex se ordinantur ad conservationem individui, in quo snt: ideo quoties ad ejus salutem convenit eorum profusio, non prohibetur a natura; semen vero solum ordinatur a natura ad generationem similis in specie: unde ob nullum alium finem emitti valet absque peccato. Et licet membrum, aut alia pars hominis abscindi possit ad totius conservationem, hoc ideo est, quia pars ordinatur ad totum; e contra cum semen solum ordinetur ad generandum, ob nullum aliud motiūm valet effundi, nec ad sanitatem, aut vitam conservandam potest honestari ejus effusio.

150. Inq. 3. An pollutio propriis tactibus habita distinguatur specie a pollutione tactibus foemine dormientis, aut pueri doli incapacis peracta? R. affirm. quia tactus sunt ejusdem specie, ac eorum objectum, ergo diversificantur juxta diversitatem objecti: ac proinde tactus, oscula, amplexus, desideria, aut delectatio morosa, ex se, vel cum quibus pollutio habetur, debent exprimi in confessione juxta differentiam personæ solutæ, uxoratæ, consecratæ, vel alterius circumstantiæ: tum, quia ultra malitiam pollutionis adest alia tactus, seu complacentia illius personæ: tum quia omnia præfata speciem sumunt ab objecto suis circumstantiis vestito.

151. Inq. 4. An liceat per tactus expellere semen corruptum saluti noxium? R. neg. quia nequeat fieri, quin simul adsit aliqua venerea delectatio, atque veri seminis effusio, ergo omnino reprobandum est. Si enim id permetteretur, quilibet posset sibi persuadere habere semen corruptum sanitati nocivum, cum magno animarum, & speciei humanæ detrimento.

152. Inq. 5. An si uxorata immediate post coitum cum conjuge, & hujus seminationem, se tactibus excitet ad seminandum, committat peccatum pollutionis? R. neg. quia talis seminatio est complementum præcedentis copulæ, aut moraliter idem. Debent tamen conjuges omni

Tom. I.

cautela procedere, ut, dum possint, opus conjugii simul perficiant. Uxorata post copulam non tenetur diu supina manere, ne semen effundatur, nam, sublata prava intentione illud pendendi, ex justa causa, aut naturali necessitate, potest se erigere, aut quidpiam aliud agere; ita ut si effusio sequatur, reputanda est involuntaria.

153. Inq. 6. An procurare distillationem aliquam notabilem sit peccatum grave? R. affirm. Pro cujus claritate nota, præter urinaam, & semen dari tertium humorem viscosum, & semini similem, & de hoc est præsens dubium. Igitur semper est peccatum grave procurare distillationem; nam licet distinguatur substantialiter a semine, est tamen ei valde affinis, secumque affert commotionem libidinosam, ergo nequit sponte procurari absque peccato gravi. Imo omnis stillatio, etiam levis, consulto procurata est gravis: quia non datur parvitas materiz. Est similiter peccatum grave illam pro viribus non vitare, dum provenit a causa vitiosa: ut ex aspectu, aut locutione alicujus personæ, ad quam inordinate afficitur, quam caute fugere debet, qui non vult perire. Si enim facile potest, & non fugit, interpretative illam querit. Devita ergo occasionem, si vere vis peccatum vitare. Quod optime docet D. Thom. opusc. 64. *de fluxu libid.*

154. Si autem hujusmodi distillatio difluat ex naturali calida, & humida complexione, aut ex infirmitate, vel ex causa honesta audiendi confessiones, aut legendi quod convenit, aut etiam ex allocatione mere sociali, & urbana, seclusa prava intentione, & periculo, despicienda est, nec de illa amplius curandum, quam de emissionem sudoris, aut alterius humoris superflui, quo natura se exonerare solet. Uno verbo, nullo modo quaratur in se, nec in sua causa. Dum notabilis est, & facile possit, vitetur; de cætero, omnino despiciatur.

PUNCTUM III.

De pollutione voluntaria in causa.

155. Inq. 1. Quando appositio alicujus cause, ex qua prævidetur pollutio se-

Ffff

cu-